



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis  
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia  
Dominicarum Totius Anni**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1689**

Problema XXXV. Cur Leprosus veniens adoraverit Christum? Dominica III.  
Post Epiphaniam. Ecce Leprosus veniens adoravit eum. Matth. 8.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



# PROBLEMA XXXV.

Cur Leprosus veniens adoraverit  
Christum ?

## DOMINICA III. POST EPI- PHANIAM.

*Ecce Leprosus veniens adoravit eum.*  
Matth. 8.

§ I.  
Cur lepro-  
sus adora-  
verit  
Christum.



Multis infirmis, quos magnus mundi Medicus (sic Christum appellat Augustinus) tempore vitæ suæ sanctæ curavit, duplices etiam ab Evangelistis nominantur leprosi. Decem vice unâ curatos memorat Lucas c. 17. unum in hodierno Evangelio Sanctus Matthæus. In singulis animadversione dignissima, quâ sese præsentârunt Domino, est circumstantia. De decem illis, inquit Lucas, *steterunt à longè*; de hodierno uno ait Matthæus, *adorabat eum*; haud dubiè & hic prout decem illi, non propè, sed *à longè stans* adoraverit Dominum. Quod flexis Christum adoraverit genibus, cau-

sa esse poterat, quia infirmus, & afflictus erat; optima namque humilitatis Magistra, miseria est, & infirmitas. Docentur virgâ animalia genua flectere. tribulatio virga DEI est, quâ coram Altissimo & nos prosternere docemur. *Adorabat eum*, quia Majestatem illam agnoscebat, coram qua non solum cælum, & terra, sed & ipsi inferi sua inflectunt genua. Quod si enim olim, dum adhuc infans ab uberibus pendens Matris, inque Ægyptum fugiens ab inclinantibus sese adoratus est arboribus, quid mirum, leprosum hunc genua curvare, & à tot patris miraculis gloriosum adorare Dominum? Verum genuinam adorationis humilis ut præcedentium de-

C e

sem,

cem ita leprosi hujus absque omni dubio à longè stantis affert causam Paulus de Palat: in Caput octavum Matth. quòd metuerit, nè morbo suo fætido, & contagioso, Domino Paradisi molestus esset, *sentiebat plane leprosus Christi Majestatem: sentiebat, & lepræ fœtorem, ideoque coram tanta tremebat Celsitudine.* Lepra namque ( prout auditum aliàs ) peccatum denotat. si lepra itaque peccatum, fœtor profectò lepræ, graveolentiam peccati denotabit, & graveolentiam quidem non solum DEO, & cuivis homini probo, sed & dæmoni ipsi intolerabilem. Id ipsum, & quomodo fœtor hic pelendus, audiamus.

*Ecce leprosus veniens adorabat eum. Matth. 8.*

§ 2.  
Cur in sacrificio hircum sibi offerri voluerit DEUS.

Inter reliqua, quæ in lege veteri, præscripserat populo suo DEUS præcepta, erat & illud: ut in quovis sacrificio pro peccatis offerendo, hircus DEO oblatus sacrificaretur. Hircus sacrificium erat pro peccato sive Principis cujuspiam, sive plebeij hominis offerendum. Imò licet aliam sibi subinde bestiam sacrificari vellet DEUS, attamen hoc ipso, quod ejusmodi pro peccato offerenda esset bestia, & hircum in ejus societatem offerri voluit, ut legere est Levitici 4. v. 23. Oritur itaque nunc quæstio: Cur in peccati remissionem hircus sacrificandus fuerit, cum animalia plura, eaque mundiora populo fuerint? Oleaster in Cap. 7. Libri Numerorum reponit: hanc ob causam id præstitum esse, ut

hoc ipso hirci sacrificio, fœtor peccati insinuaretur. *Mirum valde est, verba sunt Oleastri, quòd ut plurimum hircus pro peccato offertur; quo DEUS peccati horrorem, atque fœtorem adumbrari voluit; est enim animal horribile, & fœtidum.* Et hæc ipsa causa est: dæmonem ex peccato horridissimum, & fœtidissimum, plerumque sub hirci specie comparere, sibi que similibus peccato fœtentibus hominibus, ad magias, vel saltus magicos, & conventicula evocando, non equum, sed fœtidum plerumque in veredum submittere solere hircum. Imò quòd Christus ipse, damnandos hircis comparet, id factum est, ut notat Jansenius in Concord: Evang. c. 127. *ob illorum fœtorem, & immunditiam, vicijus peccatores hædis comparantur.*

Misericors, & bonus ille Samaritanus contrafactum, ac miserabilem illum hominem, qui in via Hierosolymitana in Jericho inciderat in latrones, vestibus spoliatum, vulneribus ad mortem fauciatum, non in alium locum, quam in stabulum duxit, *imponens illum super jumentum suum, duxit in stabulum, & curam illius egit.* Luc. 10. v. 34. Nemo fanus negaverit magnam Samaritani hujus fuisse charitatem, magnamque compassionem; sed, laudabilius eum fecisse, asseret alius, si pauperulum hunc in meliori hospitio hominum, & non in jumentorum mansione, domo, atque habitaculo accommodasset: sed enim ordinatissimam hanc ipsam fuisse charitatem, censet Dionysius Carthusi-

§ 3.  
Cur Samaritanus ille vulneratus à latronibus stabulo inferatur

anus

anus in Lucæ Caput decimum dum ait, eum potius in stabulum, quam domum duxisse, ut presentis vitæ fœtorem attendamus, id est, peccata, quibus affecti mortales, ( per hæc enim peregrinus ille denotatur ) & jam non hominum, sed irrationalium, fœtidissimarumque bestiarum induentes naturam, haud aptior ipsdem hospitij censeatur esse locus, quam fœtidum animalium stabulum. Peccati fœtor gravissimus. *Revera enim stabulo, putredinæque omni peccatum deterius est, atque fœtidius*, inquit Chrysoströmus hom. 2. in I. ad Timoth. c. 1. Quid amabò cadavere fœtidius, quid abominabilius est? homo æstivo tempore vel à longè mephytin cadaveris sentiens, illicò sibi nares obstruit, quoad transierit. Fœtet ut diabolus (dicere amant Mortales) intolerabilem fœtorem quempiam indicaturi, quid enim dæmone fœtidius? nam quemadmodum illo in gratia constituto nil pulchrius, ornatius nihil fuerat, ità post lapsum peccati corruptus, fœtidissimus effectus est, quo fœtidius nihil: juxta illud Philosophorum: *Optimi corruptio pessima*. Et sanè post diabolum fœtidius nihil diabolico homine, ut peccatorem dicere audeo, pejori etenim hunc ipsum jam dudum ante me insignivit, & vocavit titulo D. Hieronymus in Isaïæ c. 14. dum edixit: *peccatum est cadaver diaboli*: Intolerabilis fuerat Davidi hic fœtor, ut in illa Jobi prorupisse verba videatur. Job. 7. v. 20. *fatus sum mihi met ipsi gravis*: quando jure merito conquestus est:

*putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ* psal. 37. Græcus textus legit: *corruptæ sunt, & fœtuerunt*. quasi dicat: vulnera animæ meæ, scilicet peccata, adeò gravia sunt, ut non solum propter illa mortem æternam metuiam, verum & adeò graviter olentia, ut eorū fœtori sustinendò diutiùs nō sim.

Hic ipsus fœtor causa erat, ut David precaretur Dominum: *salva me ex ore leonis* psal. 21. v. 22. David non precatur de ore canis, serpentis alteriusque liberari animalis, sed *leonis*, & cur id? causam intelligo ex Plinio Lib. 8. c. 16. afferente: leonem, ob carnem, quam in ore suo mastecat, feris omnibus esse horrore, atque formidini ob fœtidissimum illum, nec non venenatum halitum, quo cibum illum inficit, Peccatum morsus quidam leonis est, & hac de causa vulnus ejus non solum lethiferum, verum etiam fœtoris ergò intolerabile. Morsu leonis faucius, vulneratusque fuerat David peccato adulterij, à morsu hoc, utpote Davidi intolerabili, in clamat, & unicè expetit à DEO liberari. Fœtorem hunc ( ità annotante D. Bernardino part. 4. ferm. 45. ) à longè sensit purissimus Dominus in horto Gethsemani Luc. 22. dum eum osculaturus accessit cadaver diaboli, leonino, infernali morsu faucius Judas, ut quodammodo abhorrens, dicat: *Juda, osculo filium hominis tradis?* quasi diceret: non horreo Judas mortis meæ præsentiam, passionisq; instantis tormenta, sed intolerabilem fœtorem, quem tu ore sacrile-

§ 4.  
Cur David  
ex ore Leonis  
perat  
liberari?

go, & osculo offers: hunc abominor, hunc detestor. Nam *putredo illius osculi* (inquit præfatus Bernardinus) *fuit de horribilibus fetoribus, quos unquam sensit Christus.* Jam quidem tunc odoratu perfecto destitutus non fuerat Christus, quando in mundum infans natus, hujus multiplicem persensit fetorem, verum corporalem non abhorruit, siquidem & in stabulo bovem inter, ac asinum nasci dedignatus non est: horret autem animi, horret peccati fetorem tantum, ut in lamentabiles, illas prorumpat querelas: *Juda osculo filium hominis tradis!* Horrendum fateor tormentum, quod barbarus, omnique feritate ferior olim ille ingeniosâ excogitavit crudelitate Maxenti<sup>9</sup> tyrannus, hominem vivum cum homine mortuo infrusta dissecto, sacco includens, ut sic morte lentâ, & fetore enecaretur: sed foetidiori longè, abominabilioriq; Christ<sup>9</sup> affect<sup>9</sup> est tormento, dum osculo peccati foetidissimo à Juda est traditus.

§ 5.  
Peccati  
fetor i-  
psum cœ-  
lum pene-  
trat.

Quis ignoret peccati fetorem esse tantum, ut in cœlum ipsum penetret, & divinum, ita loquendo, hebetet odoratum? Id ut manifestum faciam, placeat tantisper pensulatiùs illa filij prodigii ruminare verba, quibus, in se reversus, Patrem deprecatus est: *Pater, peccavi in cœlum, & coram te.* Animadvertite, quòd filius hic degener veniam à patre petens, doleat unice se *in cœlum* peccasse. Nam si filius hic, ut lucifer, aliquando cœli fuisset incola, miranda haud essent verba illius, quibus se *in cœlum* peccasse

ait, quemadmodum nec mirandum est, eum dicere, *coram te*: nam in conspectu vixerat aliquando Patris, rursumque periturus comparet. Verum, rectè (inquit Bernardinus part. 1. ser. 24. a. 2. c. 2.) fatetur culpam suam *in cœlum, quia peccando in terra, cœlum infecit peccati fetore.* DEus ubique est, ubi DEus, ibi cœlum; peccans itaque coram DEO, cœlum quodammodò fetore inficit. Et hæc causa, quòd viginti quatuor illi Seniores, quos, Apocalypiticus ille vidit oculus c. 5. v. 8. habentes *phialas aureas plenas odoramentorum*, stent coram Agno; *phialæ* namque *aureæ*, quas Joannes vidit *odoramentorum plenas*, ad aliud non sunt, quàm ad *abolendam criminum nostrorū corruptelam, odorem suavitatis emittentes*; inquit Greg. XI. in Bulla Canoniz. S. Francisci Seraphici. Ad eò certè foetent peccata, ut nec dæmon foetidissimus, quandoque horum sufferre potis sit fetorem. Testatur id Holcott 21. Sap. lect. 128. Nicromanticum quempiam, ait diutino dæmonem advocasse tempore, eumque tandem sed post moras longiores ex longinquo sibi comparentem habuisse. Moræ, ac distantiae rationem exquirens Nicromanticus admirationis plenus ex diabolo, hanc accepit responsionem; *fetor tuæ luxuriæ propiorum ad te mihi inhihet accessum* Et ita sanè est. *graviores* namque *sine comparatione putorem cloacis ipsius luxuriosa reddunt cogitationes; quia fetores hi animarum sunt, illi corporum*: inquit Cæsarius Arelat:

hom.

hom. 6. Si tantū itaq; solæ cogitationes luxuriosæ exhalant fœtorem, faniore, oro, revolvite mente, quantò majorem dicta ipsa, factaq; exhalent

§ 6.  
Cur peccati fœtorem homines passim non sentiant?

Enim verò reponet, fors quispiam: si tantus, peccati fœtor, ut cœlum ipsum feriat, penetrètque, quî sit, cùm Universum peccatis plenum sit, & ut accidit, ut ab hominibus in mundo degentibus non notetur? Respondeo: Quantumvis fœtor iste à nobis perceptibilis non sit, exinde tamen sequela non est, graveolentiam quoque à se non diffundere peccata: ratio hujus desumitur vel ex hoc; quia nares nostræ putoribus illis plenæ sunt, utpote in fœtoribus ejuscemodi nati, educatiq;e. Sicut enim pisces inter amaras maris aquas nati, atque enutriti ejus amaritudinem minimè persentiscunt; ita & nos universi hujus incolæ peccati fœtorem haudquaquam percipimus, quia in illo nati, & educati sumus. Hoc ipsum sequentibus confirmat verbis D. Vincentius serm. 1. Domin. 2. Adventûs, dum ait: *Nec pisces sentiunt amaritudinem maris, nec stabularius odorem stabuli persentiscit, quia nati, & enutriti in fœtore illo.* Et mellifluus Bernard. Lib. 1. de Consider. *Ubi omnes sordent, unius fœtor non sentitur.* Et quia in sordescente hoc mundo multi, sine his peccatorum sordibus, mundi, & immaculati vixère, hi nimium sordidum istum peccatorum persentiscebant fœtorem. Hunc persentiscebat purissima illa, atque sanctissima Virgo Catharina Senensis, quæ quotiescun-

que obvios habebat homines luxuriosos, tantam ex fœtore peccatorum ipsorum passa erat molestiam, ut eundem sustinere non valens, omni ex parte faciem suam divertere cogeretur. Imò, cùm die quopi- am cum Gregorio hujus nominis XI. Summo Pontifice sermonem familiarem misceret, dicere non dubitavit: se Senis constitutam eorum peccatorum, quæ Romæ committebantur, fœtorem manifestè & distinctè percepisse. S. Antoninum, ipsius Sanctæ, verba referentem audiamus, par. 3. tit. 23. l. 14. §. 13. *Ad honorem Omnipotentis DEI audeo dicere: quod plus ego percepi fœtorem peccatorum, quæ in Romana Curia committuntur quotidie, existens in civitate mea, unde sum orta, quam percipiant ipsi, qui commiserunt ea.* De Sancta Francisca Romana vitæ autor refert, Sanctam, quandoque deliquium passam ex fœtoris peccatorum graveolentia. Superiori allegatæ causæ, cur ordinariè ab hominibus fœtor peccatorum non percipiatur, adjungo aliam, quam assignat Simon de Cassia gest. Christi L. 5. c. 15. *Quod si ab unoquoque mortalium peccatorum humanorum fœtor persentiretur, nullus hominum in hoc mundo vivere, aut cum altero conversationis confortium habere posset. Si fœtor in iniquitatibus sentiretur (verba illius sunt) conversatio omnino mortalium scinderetur, nec esset aliqua necessitudo, aut copula seu amor innectens simul conversari consentientes.* S. Bonaventura in diætâ salutis c. 39.

ausus est dicere: adeò immanem, vel unius damnati esse corporis fœtorem, ut si in hunc mundum inferretur, mox omnes domos, pagos, urbes, Provincias, imò pisces omnes sub aquis, volucres in aère, feras in silvis, & quidquid spirat, luc pestiferà inficeret, & interficeret. Nunc verò certum est, illum intolerandum fœtorem, non aliunde, quàm à peccatis, quibus dum viverent, contaminârunt corpora, originem suam habere, atque enormitatem diabolicæ turpitudinis tantam esse, ut suprâ memorata D. Catharina videns ad momentum vice quâdam diabolium, dixerit Domino: se millies morituram potius, quàm ut iteratò turpissimum illum intueretur spiritum.

§ 7.  
Remedi-  
um pellen-  
di fœtorem  
peccati.

Intellectâ fœtoris peccati enormitate, superest nunc abolendi hujus efficax quoque præbere remedium, quod qui cupitis, capite illud ex Lucæ c. 7. v. 34. Hic describens Mariæ Magdalenæ in civitate peccatricis facta, ait, mulierem hanc adeò peccatorum fœtore contaminatam fuisse, ut sibi ipsi gravis, & intolerabilis, neutiquam auderet vel antrorsum coram Jesu comparere: quid itaque egit? *attulit alabastrum unguenti, & stans retro secus pedes ejus lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & unguento ungebat.* Cur hoc? causam percipite ex Didaco Stella in Lucæ c. 7. *Peccatrix*

*hæc mulier suavissimis odoribus venit ad filium DEI, nè peccatorum fœtore Christum offenderet, ita ille: hoc factum vice unâ in domo Simonis; vice alterâ in Bethania domi propriæ, in qua resuscitato Lazaro fratre dignatus est Christus unâ mensæ accumbere, & tunc rursus, librâ unguenti unxit pedes JESU, additque Joannes, capite duodecimo v. 3. Domus repleta est ex odore unguenti; Sed quæ causa, quòd vice primâ allati secum unguenti odor taceatur, vicè verò alterâ clarè describatur? eam ex Sancto audite Paschasio ser. in Matth. c. 26. neque odoriferû dicitur, quia peccatrix mulier accusatur. Primâ vice cum unguento comparens Magdalena peccatrix erat, cujus fœtor refugit unguenti odorem; veniens verò vice altera, quæ jam erat post pœnitentiam, post peccatorum remissionem, & audiêrat: remittuntur tibi peccata, tunc ita unguento suo redolebat, ut odore illius repleta fuerit domus tota. Gratia ergò DEI per pœnitentiam obtenta unguentum illud est, quo fœtor ille peccati pessimus enervatur, atque propellitur. Exemplar pœnitentis erat quatriduanus, Lazarus à Christo resuscitatus, cujus sepulchrale saxum, dum Christus revolvi jussit, clamabat Martha: Domine jam fœtet. Sororibus fœtebat, non Christo, peccatum ante Dominum non fœtet, si de ipso pœnitentiam agat, inquit Thomas Trugillus serm. 6. Dom. 4. Quadr. Conc. 2. Et D. Chrysost. peccata mali odores sunt, putri-*

*da sunt; tamen si agamus pœnitenti-* agite: studete probæ vitæ, & ædifi-  
*am, si ploremus, peccata putrida un-* cativis moribus; & cum Paulo dice-  
*gventum efficiuntur Domini. Ecce* re poteritis 2. Cor. 2. *Christi bonus o-*  
*remedium: Si leprosi estis, DE O* dor sumus, Amen.  
*scetis, & Sanctis; pœnitentiam*



PRO-